

Die Urkunden Karls des Großen, 60

Carolus gratia dei rex Francorum vir inluster omnibus agentibus tam praesentibus quam futuris. Cognoscatis, [quod] regalis tunc celsitudo fundamenta sui culminis corroborat, quando petitionibus sacerdotum et servorum dei, quod pro eorum quiete vel iuvamine pertinet, obaudimus, hoc nobis ad mercedem vel stabilitatem regni nostri in dei nomen pertinere confidimus. Ideoque cognoscat magnitudo seu utilitas vestra, quod apostolicus vir Mauriolus episcopus Andegavensis civitatis de monasterio sancti Stephani, qui est sub urbe ipsius civitatis prope murum constructus, nobis suggestit, ut, dum antecessores nostri reges ipsi monasteriolo ad ipsius lumen ecclesiae sancti Mauricii concesserunt, et nos modo pro mercedis nostrae augmentum tale beneficium ei concedere deberemus, ut in locella ipsius monasterii in quibuscumque pagis vel territoriis ea videtur habere, nullus iudex publicus nec ad causas audiendum nec ad inferendas nec freda exigendum nec hostilitatem nec mansiones aut paratas faciendas vel ullas redibitiones requirendum ingredi audeat, sed quod fiscus a longo tempore fuit consuetudo exactandum, pro nostro augmento sub emunitatis nomine in luminaribus sancti Mauricii gloriosi martyris concedere deberemus. Quod ita et fecimus. Quapropter per praesentem praeceptionem decernimus et omnino iubemus, ut nec vos nec iuniores vestri nec successores eorum nec quislibet de partibus iudicum fisci nostri, in quoscumque pagos ac territorios ipsa cella sancti Stephani locella tenere videtur, sicut superius diximus, nec inferendas nec freda exigendum nec hostilitates nec mansiones nec paratas faciendum nec ullas redibitiones requirendas et nec ad iuniores exactare nec auferre penitus non praesumatis, nisi, ut diximus, pro mercedis nostrae augmento in luminaribus ipsius Mauricii sub emunitatis nomine, ubi ipse Mauriolus episcopus custos esse videtur, ei proficiat in augmentum. Et ut haec praeceptio firmior habeatur et melius per tempora consorvetur, manu propria subscriptionibus subter eam decrevimus roborari.

Signum (M.) Caroli gloriosissimi regis.

(C.) Hitherius recognovit (SR.).

Data mense martio anno secundo regni nostri; actum Haristalio palatio publico; feliciter amen.